



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An, & qua ratione gesta à majore parte CApituli valeant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

vincialia; & si compareant per se, vel per suos Procuratores, etiam ad tractatus admitti, maxime in illis negotiis, quæ ad ipsa Capitula pertinent (ut quod omnes, & singulos tangit, ab omnibus

etiam approbetur) vocem tamen decisivam non habent c. *Etiamsi membra* 10. h. e. cum solis Episcopis conveniat, decidere, quæ in Capitulo Provinciali statuenda videbuntur.

TITULUS XI.

DE HIS QUÆ FIUNT À MAIORE PARTE CAPITULI.

§. I.

An, & qua ratione gesta à majore parte Capituli valeant?

Ad actus à Capitulo gerendos non requiritur, ut totum Capitulum sive collegium consensum præstet, sed sufficere ordinariè, ut pars major Congregatorum, vocem decisivam habentium, consentiant (quod enim à majore parte Capituli decretum est, hoc à Capitulo decretum fuisse censetur. *L. quod major* 19. ff. *ad municip.* modò duæ partes eorum, qui adesse debent, volunt, & possunt, sint congregatæ) ex c. *Cum in cunctis* 1. h. e. colligitur, & quamvis ex hoc Capitulo etiam colligatur, quòd non tantum major pars Capituli sufficiat, sed debeat etiam esse sanior (ab auctoritate, dignitate &c.) ordinariè tamen præsumitur, sanio rem partem esse, ubi major pars Capituli est; possunt tamen alii pauciores, & minor pars se opponere, ex rationabili causa, ad impediendam Capitulare decretum, si videat majorem partem irrationabiliter, & in damnum Ecclesiæ procedere.

§. II.

An Major pars Capituli possit aliquid decernere, cum præjudicio minoris partis, de bonis, aut juribus spectantibus ad singulos de Collegio?

Respondetur affirmativè, quòd nempe possit major, & sanior pars Capituli, unà cum Episcopo, seu Prælato, quamvis minor pars contradicat, ob necessitatem, seu utilitatem Ecclesiæ disponere, ac decernere, non solum de bonis, ac juribus ad singulos de collegio spectantibus, cum diminutione juris singulorum, si singuli jure illo gaudeant, ut membra illius Collegii, & hinc Pontifex in c. *Ex parte* 4. h. e. dicit, quòd possit Episcopus cum majore parte Capituli, etiam contradicente minore, cum diminutione reddituum Ecclesiasticorum, ad singulos illius Collegii spectantium, portionem deputare ad fabricam Ecclesiæ, si necessitas hoc exigat, vel utilitas Ecclesiæ. Neque tamen extendi hæc Pontificis Constitutio debet, ad quodvis opus pium & extraneum, quasi verò Episcopus cum majore parte

Ca.